

A probabilius videtur, absque interrogatione legunt, ut sit sensus: *Cum veneris ad me*: hoc est, cum liberaveris me, ac virtute tua, bonitate ac iudicio causam meam asserueris. Etenim sicut discedere à nobis Deus, quando nos deserit: sic accelerare & venire ad nos videtur, quando liberat & eripit. Quod subiicit: *Verfabor corde integro in medio domus meae*, velut expositionem eius habet, quod initio versus prudenter se in via integra acturum dixit.

Non ponam ante oculos meos. Pars est iustitiae & integritatis, fugere iniquitatem, ac detestari studium malorum. Studium hoc auerfandi iniquitatem exprimit hic versus. Priorem iustitiae partem versus praecedenti expressit. Ea est, versari corde integro, & integritati ac probitati studere. Quod in Ebraeo verbum positum fit pro re, ut verbum *Belial*, sit res *Belial*: id est, facinus ac scelus, non est incognitum illis qui Scripturas sacras legunt. Nam & in Luca pastores dicebant: *Transeamus Bethlehem*, & videamus verbum quod factum est. *Belial* idem est, quod sine iugo, sine lege, illegitimum videlicet ac temerarium.

Cor peruersum recedet à me. Quinque sequentes versus animam exprimunt, peruersos, malitiosos, delatores, superbos & fatuos, fraudulentos, mendaces, impios, & quae iniqua sunt operantes, auerfentem ac perdentem, & contra fideles & integrè viuentes amicè complectentem. Nihil habent illi versus obscuri.

Versu quarto *cor peruersum* positum est, pro homine qui corde sit peruerso. Malitiosus est, qui malitiae studet. Hunc pro suo nolebat pius rex agnoscere.

Versu quinto *elatum pectore*, vocat turgidum ac tumidum. Graecus de auaro intellexit, ideoque reddidit: *ἄνθρωπος ἐλατὸς*. Sic & vulgata Latina: *Et insatiabili corde*.

Versu sexto *fideles*, Ebr. *אֱמֻנָה*, peraces ac probos vocat, *Warhafftig vnd trewe* Leut.

Versu septimo *mendaces* dicit non prosperaturos in oculis suis: hoc est, non habituros successum in mendacijs ipsorum, quod non sit eos villo pacto laturus.

Versu ultimo dictio *Mane* posita est pro cito ac prosperè. Significat se confestim ac vigilanter oppressurum ac perditurum impios. *Per ciuitatem Domini* locum intelligit, in quo erat tabernaculum & arca testamenti, siue ille fuerit Hierusalem, siue alia quaedam ciuitas. De Hierusalem intelligi potest, si Psalmus, interea cum Dauid ab ipsius filio Absalomo eiectus esset, compositus est.

Bonitatem & iudicium cantabo. 1. Principio notandum est, quae fuerit efficacia fidei in Dauide. Haec enim spem hanc animo illius inseruerat, qua futurum sperabat ut olim esset prospere regnaturus, quamuis tum esset in exilio. Haec fides non cursum rerum, qualis iudicio rationis obijciebatur, sed ipsum Dei verbum respiciebat, acceptum per Samuelem.

2. Deinde obseruandum, quid se ante omnia facturum canat, cum fuerit restitutus. *Cantabo*, inquit, & *psallam tibi Domine*. Proponit se cum primis agiturum gratiam Dei, ac laudes illius celebraturum. Exemplum animi pijs beneficium Dei agnoscens & grati.

3. Tertio expendendum & illud, quod bonitatem non sine iudicio, nec iudicium sine bonitate ponat. Bonus est Deus suis, iustus contra impios. Bonitate vitur liberando suos, iudicio puniendo reprobos.

Prudenter agam in via integra. 1. Notemus hic adiungi integritatis studio prudentiam. Ergo stultitia coniungenda est malitiae, fraudi ac dolis. Non est igitur vera prudentia & sapientia, quae in hoc seculo obtinet, in quo cuncta dolis ac perfidia videmus esse referta, praesertim apud eos qui magni videntur esse principes, in quorum aulis homines astuti ac subdoli habentur in precio.

Verfabor corde integro in medio domus meae. 2. Exemplum verae integritatis. Primum enim illa cordis est, deinde expers est omnis ostentationis. Certè qui ex corde est integer, non solum in oculis mortalium, sed & in ipsis domus suae penetralibus rectè & integrè conuersabitur.

Non ponam ante oculos meos rem iniquam. Notandum est hoc versus, quod non dicit, *Non incidam aliquando in rem iniquam, in peccatum, in scelus, &c.* sed, *Non ponam ante oculos, detestabor, non adhaerebit mihi*. Aliud est, incidere in peccatum, quod etiam pijs subinde accidit: aliud verò, rem iniquam ponere ob oculos studiosè complecti ac retinere: quod piorum esse non potest, qui studium prauearicatorum detestantur ac fugiunt.

1. Principio obseruandum est hoc loco, quo ordine studium pietatis & iustitiae instituerit pijsimus Rex. Priores partes pietati erga Deum tribuit, de cuius gratia & iudicio cantaturum se dixit: deinde alteras iustitiae vitae & rectae conuersationis, de qua à versus 2. ad finem vsque Psalmi canit. Et hic ordo omnium est aequissimus. Sicut enim praeponeendus est Deus omnibus quae in caelo sunt & in terra, ita & in ea quae illum peculiariter concernunt, omnibus alijs sunt iustitijs & virtutibus praefenda. Hoc ordine disposita sunt praepcepta Decalogi: quorum quae cultum Dei, priorem: deinde quae iustitiam erga homines seruandam attinent, posteriorem tabulam sortita sunt. Nec immeritò. Nequit enim studium iustitiae erga homines apud eos obtinere, qui pietate erga Deum destituuntur. Est enim pietas erga Deum fons quidam omnis reliquae iustitiae. 2. Deinde notandum est, quomodo etiam iustitiae studium distinxerit. Fecit hanc geminam: vnam, quae nos ipsos alteram, quae proximum respiciat. De priore egit versibus 2. & 3. quam & ipsam sic distinxit, ut videas duas esse illius partes vnam, quae recta sunt facere, de qua vers. 2. alteram, quae praua sunt vitare, quam ponit versus tertio. De posteriore canit versibus 4. 5. 6. 7. & 8. Et huius quoque duas partes posuit: vnam, quomodo cum prauis ac peruersis, de qua versibus 4. 5. 7. & 8. alteram, quomodo cum bonis, sinceris & integris agere velit, cuius meminit versus sexto. Notemus ergo hoc loco, quem debeamus ordinem seruare in studio iustitiae: nempe eum, quo primum nostram vitam rectè instituamus: deinde & eorum vitam emendemus, qui nostrae sunt curae ac

fidei

Vers. 3.

Luca. 2.

Vers. 4. 5. 6. 7. 8.

OBSER. Vers. 1.

OBSER. Vers. 2.

OBSER. Vers. 3.

OBSER. Vers. 4. 5. 6. 7. 8.

Exod. 20.